



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Stimvlvs Compvnctionis, Et Soliloqvia**

**Juan <de Jesús Maria>**

**Coloniae, 1611**

De vigilia cordis. Cap. 17.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45624**

tenebantur intimo desiderio solitudinis, ubi gustauerant te, & multiplicauerant sine testibus, inæstimabiles diuitias suas. Placet mihi valde consilium hoc, quod prædicauit verbis & exemplis casta generatio querentium Deum, quærentium formosissimam faciem Dei Iacob. Atque ideò precor te, fili Dei Altissimi, tangas digito spiritus tui viscera mea, vt suspirèt ad te gemitibus inenarrabilibus: & præ magnitudine desiderij inueniendi te fugiant de Vr Chaldæorum, ad pacem, & serenitatem tuam. Pro misericordia ista grãdi, supplicabo tibi ad altare tuum, in muneribus dilectionis, & in holocausto pinguisimo, quod instituit amor tuus. Odores, precor, suaue sacrificium noui testamenti, quod hæreditate acquisierunt charissimi filij, & amici tui.

*De vigilia Cordis.*

CAP. XVII.

**B**enè intellexit legem dulcissimæ charitatis tuæ, ô Vnigenite fili Dei, sponsa tua, quando dixit: Ego dormio, & cor meum vigilat. Qui enim possidet te, per diuinam gratiam, & æternam misericordiam tuam, habet cor sollicitum, ne fortè perdat te, & obseurentur oculi eius præ  
magni

magnitudine tristitiæ. Credo autem, Do-  
 mine, sollicitudinem istam valde placere  
 tibi: nam & fidelissimus Apostolus tuus  
 viuens sub vmbra alarum tuarum, inter  
 opera perfectissimæ iustitiæ, timebat, &  
 vigila bat castigans corpus suum, ne fortè  
 reprobus fieret. Sed & omnes amici tui;  
 Domine, vigilant super custodia cordis,  
 quia peregrinantur per terram inimico-  
 rum, qui crudelissimo latrocinio expoli-  
 are solent incautos viatores. Ex quo fit,  
 vt mihi necesse sit à somno exurgere, &  
 super custodia mea vigilare, quam diu su-  
 perest habitus in me, & spiritus Dei in na-  
 ribus meis. Verè, Domine, filij Adam la-  
 borant lethargo mortali, & egent adiuo-  
 rio tuo, vt excitentur: propter quod fac,  
 Domine, vt anima mea nūquam obdor-  
 miat in morte, sed pungatur stimulo cha-  
 ritatis tuæ, quæ non sinat illam in terra  
 requiescere. Si enim in terra requiem in-  
 uenire non possit, suspirabit te: vretur æ-  
 stu per diem, & gelu per noctem, & rece-  
 det somnus ab oculis meis. Vtinam solli-  
 citudo hæc semper excitaret cor meum, vt  
 semper ferretur ad te, & multiplicaret si-  
 ne fine vigilias suas! Si enim tu, Pastor, a-  
 mantissime, custodisti vigilias noctis su-  
 per gregem tuum pernoctans in oratio-

AC

ne Dei; iustum erit, vt ego non grauee  
 somno, dum agitur de causa eternæ salu-  
 tis, & interminabilis consolationis meæ.  
 Vigilabo ergo factus sicut passer solitari-  
 us in tecto domus meæ, fugiens confor-  
 tia peccatorum, & ex loco sublimi explo-  
 rans fures, qui per tenebras noctis, qua-  
 runt subuertere sensus meos. Non dabo  
 somnum oculis meis, & palpebris meis  
 dormitationem, donec inueniam, & te-  
 neam te, & fruor optatissima præda mea.  
 Hoc est consilium dignum secreta erudi-  
 tione tua, ô sapientia Dei, quæ fide tua il-  
 luminasti me, vt in vigilia charitatis, que-  
 ram sine requie temporali æternam re-  
 quietem, & beatissimam pacem tuam.

*De victoria hostium anima.*

CAP. XVIII.

**O**Mnes qui de bello pacem tuam in-  
 quirunt, Domine, lætantur quando  
 vincunt obstinatos inimicos suos: letissi-  
 ma enim victoria est, quando per fortis-  
 simam virtutē dexteræ tuæ, vir iustus pro-  
 sternit mortem, & Infernum, & omne  
 quod in corpore mortali aduersatur eter-  
 næ legi tuæ. Quando scilicet accedit ho-  
 mo ad cor altum, & exaltaris in illo per  
 multiplices triumphos miserationū tua-  
 rum

rum